



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Tertium. Encomium Marianum Tertium. S. Virgo Virginum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

*extinguibili igni traditum propter MARIAM:*  
jubens eam exinde honorari ac celebrari  
verè *Deiparam*.

Nos igitur his contra *Eutichen, Valen-*  
*tinum, Cerdonem, Marcionem, Manicha-*  
*um, Nestorium, Photinum, Constantinum Co-*  
*pronimum*, aliosque hæreticos dictis extol-  
lamus vocem cum Ecclesia Catholica,  
cujus hæc mulier typum gessit, de qua  
jam ante dictum, extollamus & men-  
tem de medio turbarum, dicamusque sal-  
vatori: *Beatus venter qui te portavit & ubera*  
*qua suxisti*. Verè enim beata parens, quæ  
sicut quidam ait:

Enixa est puerpera Regem,  
Qui cœlum, terramq; regit in sæcula.

## CAPUT TERTIUM.

*Encomium Marianum Tertium.*

## S. VIRGO VIRGINUM.

**M**Andarat olim Deus *Moyse* (quem-  
admodum Exodi 24. videre licet)  
*Ascende ad Dominum tu & Aaron, Nadab*  
*& Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & a-*  
*dorabi-*

*adorabitis procul : Ascenderuntque Moyses  
 & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta  
 de senioribus Israel, sub pedibus ejus quasi opus  
 lapidis saphirini : & quasi cœlum cum serenum  
 est. Petrus Galatinus in contemplatione lo-  
 ci hujus laudat hebræum Doctorem Rabbi  
 Haccados, qui Messix matrem hic designa-  
 ri ait : Hæc illa sedes Saphirina, quam Dei fi-  
 lius seipso implevit, neque in orbe simile opus  
 est visum. Mirabile & quodammodò in-  
 conceptibile hominem assumi ad digni-  
 tatem tantam ut efficiatur mater Dei ma-  
 ter creatoris & plasmatoris sui : Nec mi-  
 nus mirandum matrem effici & virginem  
 inviolatam & intactam permanere. Do-  
 ctor mellifluus hæc ipsa considerans & in  
 tantæ novitatis consideratione hærens at-  
 tonitus. *A sæculo inquit non est auditum  
 ut aliqua simul mater esset & virgo.* serm. 1.  
 super missus. Et alio item loco hæc ipsa  
 considerans serm. 4. in Assumpt. *Ecce enim  
 inquit si in ea beatissima nimirum virgine  
 laudavero virginitatem, mihi multe virgines  
 post eam videntur offerri. Si humilitatem præ-  
 dicavero, invenientur fortè vel pauci, qui do-  
 cente filio ejus mites facti sunt & humiles cor-  
 de, &c. Unum est in quo :**

Nec

CAPUT TERTIUM.

Nec primam similem visa est nec habere sequentem,  
Gaudia matris habens cum virginitatis honore.

Optimam partem elegit sibi *MARIA* optimam planè : quia bona fœcunditas conjugalis : melior autem castitas virginalis : prorsus autem optima fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas : *MARIÆ* privilegium est non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare sed continuò etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit sic nec eloqui. Quid si & illud adijcias cujus mater? quæ jam poterit lingua etiamsi angelica sit dignis extollere laudibus virginem matrem, matrem autem non cuiuscumq; sed Dei. Duplex novitas, duplex prerogativa, duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeq; conveniens. Neq; filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter. Sexaginta inquit Spiritus sanctus cœlestis sponsus in canticis cap. 6. sunt Regina, & octoginta concubinae & adolescentularum non est numerus, sed una est columba mea perfecta mea una est matris suæ electa genitricis suæ. Vna est inquam & parem non habet, & hæc est beatissima Virgo, in qua scilicet virginitas & fœcunditas

ditas seu maternitas obviaverunt sibi & conjuncta sunt : *Vna ait (Rupertus Abbas Tuitiensis, commentans in hunc locum) est & electa quia nec inter Angelos nec inter homines, vel primam habet vel sequentem habitura est, & Dionysius Carthusianus super eadem verba Vna est columba mea, &c. quantumlibet alia anima virtuosa, contemplativa, pudica, dicuntur spirituales conjuges meae, aut adspirantes ad perfectum complexum, tanta tamen o benedictissima parens mea est eminentia tua in omni virtute, perfectione & proprietate laudanda, quod tu sola inter particulares personas es columba mea pudicissima, fecundissima, gemitu pio summè repleta in seculo isto ab omni felle alienissima. Et sicut comparatione tui nulla perfecta, quantumq; præclara & magna. Imo cetera cuncta Regina sunt tue ancille.*

Excellentissima virtus inter alias est virginitas utpotè quæ hominem ex natura sua terrenis inhiantem voluptatibus, ex homine Angelum faciat, Angelisq; adæquet. In carne enim præter carnem vivere non humanæ sed Angelicæ est virtutis: attamen inter virginitatem Angelorum & hominum excellit virginitas beatissimæ matris,

matris, veluti sol inter planetas nihil cum ea commune habens præter solum nomen: imò quodammodo cum excelsissima illa Sanctissimæ Triados virginitate bellum gerens, illiq; se quodammodo adæquans: nam quemadmodum in illa non obstante virginitate est fœcunditas, qua pater divinus ad intra ob summam naturæ divinæ fœcunditatem, producit generatque verbum seu filium suum: ita non obstante virginitate beatissima hæc virgo generat filium suum. Eximia proinde & superexcellens fuit beatissimæ matris virginitas: primo quidem quia exemplar & prototypon omnium aliarum virginum: *offerentur enim regi virgines* ut ait Bernardus serm. super signum magnum (*sed post eam nam primatum sola vendicat sibi ipsa enim prima nullo habito exemplo, nullo viso præcesfore Deo suam virginitatem vovit.* Secundo quod ejus virginea fœcunditas & fœcunda virginitas ob singulare privilegium sanctitatis longè ante sanctis patribus cælitus repromissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænunciata prophetis. De quibus jam dicendum per

per singula: prius tamen obstructâ hæreticorum blasphemâ linguâ qui virginem parere impossibile judicarunt.

## §. I.

**Q**uemadmodum non defuerunt vasa blasphemix hæretici qui cælorum Augustæ summum illum maternitatis Dei honorem subripere conati, ita nec defuerunt qui eidem sacratissimæ matri virginitatis signaculum auferre gestierunt: inter quos non immerito primatum tenet impiissimus *Helvidius* alijque hæretici, qui negarunt beatissimam matrem post partum virginem permansisse, vel quia id supra naturæ cursum esse putaverunt, vel quia seducti malo intellectu verborum Evangelij: *Et non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum* Matth. 1. Et iterum *Et peperit filium suum primogenitum & pannis involvit ac reclinavit in præsepio.* Luc. 2. Ex quib<sup>9</sup> sic arguunt ante citati hæretici, si non cognovit eam donec peperit filium suum, &c. Sequitur quod postmodum cognoverit ac proinde virginal signaculum amiserit: Et item si Christus fuerit *MARIÆ* primogenitus liquido infertur & eam habuisse secundo

cundo-genitos, ac ita postmodum virginalem castitatem perdidisse. Sed omnes hos sufficienter & sacra historia & rationes naturales evincunt quas postmodum è sanctis patribus adducemus. Et primos qui virginem post partum virginem permanere impossibile judicabant manifestissime refutat propheta *Isaias*, virginalem partum per modum maximi miraculi domui *David* proponentis; *Propter hoc* inquit *ipse Dominus dabit vobis signum Ecce virgo concipiet & pariet filiū, &c.* II. 7. in quo quæso quid miraculi fuisset si virgo concepisset non tamen post partum virgo inviolata permansisset: sed & aliorum hæreticorum argumenta jam adducta ante aliquot centenos annos refutavit noster *Ioannes Damascenus* lib. 4. fidei *Orthod.* cap. 15. *Quemadmodum autem ipse conceptus ait eam à qua conceptus fuerat virginem conseruavit. Sic etiam in lucem editus virginitatem ipsius incolumem custodivit, ut qui duntaxat per eam transierit eamq; clausam tutatus sit: Et paulò post: Mansit ergò etiam à partu virgo illa semper virgo, ut quæ ad extremum usq; spiritum numquam cum viro consuetudinem habuerit.*

buerit.



buerit. Quamvis enim scripturæ sacræ monumentis ita proditum sit. Et non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum: Sciendum tamen est primogenitum eum esse qui primus sit genitus etiamsi alioquin unigenitus sit. Etenim primogeniti vox quidem primum aliquem genitum esse declarat, non tamen necessario alios quoque postea esse genitos indicat. Atque ita hæc particula donec ita præscripti temporis terminum significat, ut tamen sequens tempus haud quaquam excludat: Quonam enim modo ea quæ Deum genuerat atq; ex eorum quæ postea secuta erant, experimento miraculum cognoverat viri complexum admisisset? Absit hæc opinio, neq; enim cordati animi est hæc cogitare, nedum perpetrare.

Eandem hæresim diu ante quoque refutavit præsul Mediolanensis Ambrosius varijs in locis: Et primo quidem Epist. 79. ubi sanè inquit negare non possumus de MARIÆ filijs jure reprehensum meritòque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neq; enim elegisset Dominus IESVS nasci per virginem si eam judicasset tam incontinentem fore

ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis aeterni concubitus humani semine coinquinaret: qui hoc enim astruit nihil aliud nisi perfidiam Iudeorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant à sacerdotibus authoritatem & videatur MARIA partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent. Et ubi est illud quod scriptum est dicente Domino ad matrem de Ioanne Evangelista: Mulier ecce filius tuus, & rursus ad Ioannem de MARIA: Ecce mater tua. Quid sibi istud vult quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronunciauit etiam de integritate materna. Aut quid aliud dicitur nisi ut claudat sua ora, perfidia obmutescat ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio. Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit tantummodo Ioseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine thori iura violauerit.

## §. 2.

**V**irginem autem concipere, Virginemque parere non esse rationi naturali aduersum sed consonum, idem Ambrosius, alio in loco disertis verbis scilicet Epist.

Epist. 81. manifestat hereticorum perfidians  
 pulcherrime convincens : De via inquit per-  
 versitatis produntur dicere : virgo concepit &  
 non virgo generavit. Quae potuit ergo virgo  
 concipere, non potuit virgo generare cum sem-  
 per conceptus precedat, partus sequatur. Sed si  
 doctrinis non creditur sacerdotum, credatur  
 oraculis Christi, credatur monitis Angelo-  
 rum, dicentium, quia non est impossibile DEO  
 omne verbum. Credatur symbolo Apostolo-  
 rum, quod Ecclesia Romana iteratum semper  
 custodit & servat. *Audivit MARIA vocem  
 Angeli & quae ante dixerat : Quomodo fiet  
 istud? non de fide generationis interrogans, re-  
 spondit postea, Ecce ancilla Domini fiat mihi se-  
 cundum verbum tuum. Haec est virgo quae in  
 utero concepit, virgo quae peperit filium : Sic e-  
 nim scriptum est Ecce virgo concipiet & pariet  
 filium. Non enim concepturam tantummodo  
 virginem, sed & parituram virginem dixit.  
 Et paulò post possibilitatem hanc infestius de-  
 clarans. Quid autem incredibile est ait si con-  
 tra usum originis peperit MARIA & Virgo  
 permanet, quando contra usum naturae mare  
 vidit & fugit, atq; in fontem suum Iordanis  
 fluentem remearunt? Non ergò excedit fidem  
 quod*

quod virgo peperit quando legimus quod Petra vomuit aquas, & in montis speciem maris unda solidata est. Non ergò excedit fidem quod homo exiuit de virgine quando petra profluxit scaturi vit ferrum super aquas, ambulavit homo super aquas. Ergò si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare?

Quod autem nec partus virginalis naturæ repugnet, demonstrant varia animalculorum genera, quæ teste Plinio ac plerisque ex sanctis Patribus sine concubitu concipiunt & pariunt. Negantur enim vultures (ut ait Ambrosius indulgere concubitu & conjugali quodam usu nuptialisque copula sorte misceri atque ita sine ullo masculorum concipere semine & sine conjunctione generare, nasci que ex his in multam ætatem longa vitæ procedere ut usque ad centum annos vitæ eorum series producat. Quid aiunt igitur qui nostra solent ridere mysteria, cum audiunt quod virgo generavit & impossibilem innuptæ cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset existimant partum? Impossibile putatur in DEI matre quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit & nullus refellit & quia desponsata viro MARIA peperit pudoris

deris

doris ejus faciunt questionem? Nonne advertimus quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante premisit, quibus suscepta incarnationis decorem probaret & astrueret veritatem. ita *Amb.* lib. 5. in Hexam. cap. 10.

*Ruffinus* in expositione symboli apud *Hieron.* tom. 4. virginalis partus possibilitatem probat ab Ave orientis quam phœnicem vocant, quæ sine ullo concubitu maris & fœminæ generatur: *Quid mirum* (inquit hic Doctor) *videtur si virgo conceperit cum orientis avem quam phœnicem vocant in tantum sine conjuge nasci vel renasci constet, ut semper una sit & semper sibi nascendo vel renascendo succedat? Apes certè nescire conjugia nec fetus nixibus edere omnibus palam est.*

Ex eodem principio & fundamento probat eandem *Lactantius* lib. 4. cap. 12. in principio. *Quod si animalia quædam [ait] vento aut aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet cum spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse virginem dicimus? quod quidem incredibile posset videri nisi hoc futurum ante multa secula Prophetæ cecinissent.*

S. Augusti-

*S. Augustinus virginis matris integritatem ostendit, à sole & radijs ejusdem ad quod alludunt Cantici verba.*

*Vt vitrum non leditur sole penetrante,  
Sic illa creditur virgo post & ante.*

Ait ergò is ferm. 3. adventus tom. 10.

*Solis radius specula penetrat & soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit & talis videtur extrinsecus qualis intra. Itaque nec cum ingreditur violat, nec cum egreditur dissipat, quia ad ingressum & regressum ejus speculum integrum perseverat. Speculum ergò non rumpit radius solis, integritatem virginis ingressus aut egressus numquid vitiare potuit Deitatis?*

*Pulcherrime deniq; tam gentiles quam Judæos proprio quasi oris testimonio convincit Cyrillus Hierosol. catechesi 12. contra Judæos & gentiles pro virginitate Deiparæ decertans: sed convincere nos, inquit student Iudæi & Græci & dicunt quod erat impossibile Deum nasci ex virgine. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus.*

*Qui enim dicitis projectos homines mutari quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Iovis cerebro natam filiam fabulamini quomodo*

F

modo

modo ex utero virginali nasci aliquem impossibilem judicatis esse? qui de femore vestri Iovis progeneratum esse falso dicitis Bacchum; Cur nostram veritatem reijcitis? Iudeis vero occurrens perquire: utrum est difficilius senem & sterilem jam deficientibus muliebribus parere aut virginem generare? sterilis erat Sara & deficientibus jam muliebribus præter naturam peperit. Igitur cum & sterilem & virginem parere sit præter naturam aut utrumq; nega aut utrumq; concede. Et adductis varijs comparationibus nimirum manus Moysis mutata in leprosam virga mutata in serpentem, &c. Paulò post ita prosequitur: Eva ab initio de quo nata est? quæ mater conceperat illam, quæ matrem non habuit? Dicit enim scriptura, quod de latere facta est Adami. Numquid igitur Eva quidem de latere viri sine matre nascitur: de virginali autem utero sine viro nihil nascetur? Et paulò post: Itaque ò indoctissimi Iudei unde Adam factus est? nonne DEVS accepit pulverem terre & creavit creaturam hanc admirandam? Quid igitur lutum quidem in oculum mutatur & virgo non generabit? Quod apud homines maxime est impossibile, numquid DEVS prestare non poterit

verit? Hec ille, sed jam ad figuras S. Script. hujus virginalis fœcunditatis prototypa pergamus.

S. 3.

**T**ot hujus sacratissimæ virginitatis & virgineæ fœcunditatis in sacris litteris inveniuntur præfigurativa tot prototypa. ut ea ad longam enumerare labor esset importabilis tot inquam quot libri, imo quot ferè capita. Ex ijs pauca enumerare sufficiat.

Et primo quidem eam præfiguravit *Rubus ille Mosaicus*, qui ardere quidem à *Moyse* videbatur, nec tamen comburebatur sed illæsus persistebat: ita disertis *Origenes*, sicut inquit *Hom. 1. ex 10. varijs tom. 3. Quondam Rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebatur, & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non ladebat incendium & quemadmodum. Danieli intra lacum leonum incluso claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc: ita hæc virgo sancta Deum genuit, sed intacta permansit, Et Mellifluus Bernardus quid ait Rubus ille Mosaicus protendebat flammam quidem emittens sed non ardens nisi MARIAM*



*parientem & dolorem non sentientem adde nec virginitatem amittentem.*

Secundo hanc juxta S. Augustinum virga Aaronis, quæ sicca flores emisit, præfiguravit. Inquit enim ille serm. 3. de Adventu tom. 10. *Virga ecce protulit quod ante non habuit non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, & tamen cum illic desint universa jura nature protulit virga, quod nec semine suggeri potuit nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces producere, virgo non potuit contra nature jura filium Dei generare? Et iterum Bernardus Hom. 2. super missus. Quid rogo ait virga Aaron florida nec humectata nisi concipientem quamvis virum non cognoscentem præsignavit.*

Tertio eandem illæsam virginitatem præfiguravit campus ille, cujus se cælestis Sponsus filius ejus florem dicit: cum ait in canticis canticorum: *Ego Flos campi & lili-um convallium.* Campus enim ut ait Bernardus serm. 2. in Adventu sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo non defossus sarculo, non impinguatus fimo, sic omnino sic virginis alvus floruit: sic inviolata  
*integra*

*integra & casta MARIAE viscera florem protulerunt.*

Quarto eandem præsignavit porta clausa Ezechielis 44. ubi dicitur *porta hac clausa erit, &c.* ita sentit Ambrosius: *Quæ est hæc inquit porta nisi MARIA? ideo clausa quia virgo. Porta igitur MARIA, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu virginitalis claustra non solvit, sed inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine cuius altitudinem mundus sustinere non posset.*

Denique eam præsignavit novum illud quod propheta Dominum facturum super terram prænunciavit *Novum inquit faciet Dominus super terram foemina circumdabit virum. Non ab altero* (ait Bernardus serm. 3. in purific.) *virgo virum suscipiet non humana lege concipiet hominem sed inter viscera intacta & integra virum virgo claudet.*

Pari modo hanc foecundam virginitalitatem præfigurant tot arborum aliarumque rerum creaturarum species quibus hæc beatissima virgo aut seipsam aut à sponso celesti comparatur. Et primo quidem ipsa se

comparat Therebintho & viti Eccl. 24.  
*Ego ait quasi therebinthus extendi ramos meos.  
 Et ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* : Afferit autem *Theodoretus* in cantica  
 Therebinthum quæ producit flores sine  
 fructibus, antiquis virginitatis symbolum;  
 Vitem autem quæ producit fructus,  
 sine florib<sup>9</sup>, maternitatis symbolum fuisse.  
 Quia ergo *MARIA* & Mater & Virgo fu-  
 tura & mansura erat hisce binis virginitatis  
 & maternitatis symbolis comparatur. Sic  
 & teste *Gregorio Nazianzeno* orat. II. in cant.  
 puella significabatur aliqua si vestem puris-  
 simo auro intextam gestabat : foemina au-  
 tem noscebatur si gestaret vestem  
 ornatam & varietatam ; utramque hanc  
 vestem veluti maternitatis & virginitatis  
 prototypon beatissimæ matri virgini ad-  
 scribit & concedit psalter Regius : *Astitit*  
*inquit Regina à dextris tuis in vestitu de auro*  
*circumdata varietate* Ps. 44. Deniq; cõpa-  
 rat eam cælestis Sponsus in canticis Malo-  
 granato *Emissiones tuæ inquit paradisus*  
*malorum puniceorum cum pomorum fructibus,*  
 cant. 4. De hac autem admirabili arbore  
 referunt naturalistæ, quod dum producit  
 fructus

fructus non dimittat nec reijciat à se flores quemadmodum aliæ arbores sed eosdem retinet, ut speciosam deinde ex iisdem sibi efformet coronam qua plurimum ad ornatum est malum punicum. Ob hanc ergo causam Sponsus cælestis gloriosam Sponsam suam beatissimam Virginem quemadmodum malogranatum fructum producturam nimirum *IESVM Christum* nec tamen ideo florem virginitatis amissuram, quemadmodum aliæ virgines quæ dum fructū proferūt, florē virginitatis amittunt. Prædixit unde hanc excellentiam in beatissima virgine demirans exclamat: *O miraculum ingens! virgo mater sit & virgo permanet. In alijs fœminis quamdiu aliqua virgo est, Mater non est, cum autem mater facta fuerit, virginitatem non habet: Hic verò virginitas neq; partum prohibet, neq; partus virginitatem solvit: Ita Doctor citatus in orat. de Nativ. Christi Domini. Cui consentiens Hugo de S. Victore, serm. 55. in expensione horum verborum: Flores mei fructus honoris & honestatis. Hic fructus solus est (nimirum Christus) qui matris suæ florem non abstulit, sed conservavit ac venustavit.*

## §. 4.

**S**ed jam tandem beatissimam hanc matrem & virginem ut virginum omnium primiceriam Dominam ac ductricem consideremus. Philosophorum axioma & pronuntiatum est *primum in unoquoque genere est causa* (saltem *Exemplaris*) *eorum quae sunt post in illo genere.* Beatissima virgo in ordine castitatis prima est, causaque exemplaris exemplar vivum & speculum omnium aliarum virginum Regina, & princeps tot Religiosorum & Religiosarum virginum, quae prima vovendae castitatis viam invenit votumque prima edidit, aliosque omnes suis exemplis ad ipsum excitavit. *Missus est inquit Evangelista Angelus Gabriel ad virginem: virginem inquit Bernardus carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique & mente & corpore sanctam, Nec noviter nec fortuitu inventam, sed à seculo electam, ab altissimo praecognitam & sibi preparatam, ab Angelis servatam, à Patribus praefiguratam, à Prophetis promissam. Virginem ut ait D. Ambrosius quae signum sacrae virginitatis extulit ex intemeratis virginibus pium Christi vexillum levavit, ut rectissime eandem*

dem

dem S. Mater Ecclesia, & virginum virginem in Lætanijs Lauretanis : & virginem singularem in hymno Ave maris stella saluet : *Virgo inquit singularis inter omnes mitis, &c.* Hæc ergo prima omnium virginitatem vovit ita S. *Augustinus* citatus à *D. Thoma* 3. parte quæst. 28. artic. 4. *Annunciante Angelo MARIA respondit, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi prius se virginem Deo vovisset: Sic & Bernardus super eadem verba quomodo fiet istud, &c. non dubitat inquit de facto sed modum requirit & ordinem. Nec enim querit an fiet istud sed quomodo? Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus testis conscientie mee votum esse ancille sue non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei ut fiet istud? Si oportuerit me frangere votum ut pariam talem filium & gaudeo de filio & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin verò concipiam virgo & virgo pariam, quod utiq; si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio verè quia respexit humilitatem Ancille sue. Et sermone præcedenti beatissimam hanc virginem hoc modo alloquens, Quid facies ait Virgo: si parturis angustiarius, si sterilis manes, male-*

nes, male-

nes, malediceris. Quid eliges Virgo prudens? Eamque hoc modo respondentem introducit Angustia inquit mihi sunt undique melius est tamen mihi maledictum incurrere & castam manere, quam prius quidem concipere per concupiscentiam quod merito post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum sed non peccatum, & cruciatum. Denique hæc maledictio quid est quam hominum exprobatio? neque ob aliud sane dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio & contemptui sit habenda, tamquam inutilis & infructuosa & hoc in Israel tantum. Mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo. O virgo prudens, ô virgo beata (subjungit iterum Bernardus) quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit vel consulit vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris angelicam ducere vitam? ubi legeras de virginibus, quia cantant canticum novum quod nemo alius cantare potest & sequuntur agnum quocumque jerit? ubi legeras laudatos esse qui se eastraverunt propter regnum calorum? ubi legeras de virginibus præceptum Domini

mini

mini non habeo? Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod unctio Dei doceat te de omnibus, ac sermo Dei vivus & efficax ante tibi factus est magister, quam filius: prius instruxerit mentem quam induerit carnem. Christo ergo devoves te exhibere virginem, & nescis quod ipse te optet exhiberi etiam matrem. Aperi virgo sinum, expande gremium, prepara uterum, quia ecce facturus est tibi magna qui potens est in tantum ut pro maledictione in Israel beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas prudens virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies sed sine peccato. Gravida eris sed non gravata: Paries sed non cum tristitia: nescies virum & gignes filium. Et licet Doctor Angelicus arbitretur beatissimam virginem solùm voluisse castitatem & virginitatem stante matrimonio parte 3. quæst. 28. art. 4. his verbis: Quia inquit tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros (quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur antea quam ex illo populo Christus nasceretur) mater Dei non creditur antequam desponsaretur Ioseph absolute virginitatem vovisse: sed licet  
eam



*eam in desiderio habuerit super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum verò accepto sponso secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginittatis emisit : Licet inquam hæc Doctoris Angelici sententia probabilis sit ; favorabilior tamen magisque in honorem Dominæ nostræ cadens est sententia quam amplectitur quidam Theologus Hispanus referente Drexelio Petrus Morales in cap. 1. Matth. lib. 2. tract. 6. eam nimirum ab instanti Conceptionis votum servandæ virginittatis emisisse : verba ejus sunt : Beatissima virgo quæ à sua immaculatissima Conceptione usum rationis ad spiritualia habuit, non solum propositum virginittatis nec solum votum ante filij Conceptionem & ante matrimonium, sed etiam in ipso conceptionis instanti & in utero matris existens virginittatem suam voto explicito & absoluto Deo consecravit. Ita tenent authores gravissimi contemplativi quos refert & approbat Iacobus Episcopus Christopolitanus : explicans verba illa canticæ virginis : Fecit mihi magna qui potens est. Dicunt ergo quod virgo illico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginittatis*

ginitatis in utero matris, quod postea per successionem temporis ostendit: Nam statim tertio anno tanquam virgo se ad Dei famulatum dedicavit, ad serviendum Deo in templo Domini. Hæc ille & addit rationem. In conceptione enim sua, virgo Dei majestatem pulchritudinemque contemplans, ardentissimo amoris igne flagrans eum sibi unicum sponsum elegit perpetueque virginittatis votum nuncupavit juxta illud cant. cap. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinentur umbrae id est usque ad vesperam mortis.*

Sed contra jam dicta quod nimirum beatissima virgo sit virginum primiceria exemplum primum, & speculum utpote quæ prima virginittatem voverit exurgit difficultas quoniam *Elias & Eliseus* juxta mentem plurimorum gravissimorum Doctorum virginittatem voverunt ut probat *Philippus à sanctissima Trinitate*, Tract. de Religione Disp. 6. Dub. 2. adducens varios sanctos Patres in hujus opinionis confirmatione: ergo beatissima virgo non fuit prima quæ virginittatem vovit cum illi sancti longo tempore beatissimam virginem præcesse-

præcesserint. & respondendum cum *Sua-*  
*rez* tom. 2. in 3. part. disp. 6. sect. 3. *Quod*  
*beata virgo perfectum votum virginittatis e-*  
*miserit ad ejus perfectionem pertinet: Quod*  
*verò ante ipsam nullus hoc fecerit ad ejus com-*  
*mendationem non ad modum refert: Deinde*  
*subdit; Dicit etiam potest prima quia proposita*  
*est tanquam Dux & exemplar hujusmodi voti,*  
*& hunc existimo esse sensum sanctorum Pa-*  
*trum: Igitur beatissima virgo non fuit*  
*prima tempore sed ordine dignitatis emi-*  
*nentia & perfectionis in emittendo voto*  
*virginittatis; Ipsaque fuit revelata & pro-*  
*posita Elia ut exemplar & dux virginittatis,*  
*ad cujus honorem & imitationem illam*  
*vovit Elias & Eliseus præceperuntque à*  
*suis discipulis voveri. Sed hic jam sistamus*  
*quia forte adhuc de materia loquendi am-*  
*prior dabitur occasio in alijs encomijs*  
*Marianis.*

#### CAPUT QUARTUM.

*Encomium Marianum Quartum.*

#### MATER CHRISTI.

**C**ONSIDERATA jam pridem admirabilis  
 Matris ac Dominæ in quantum DEI  
 Mater